

sentire inciperet. Hamburgi igitur Io. Bugenhagium, qui colloquium istud moderatus erat maxime, convenit, eidemque, quod res erat, confitebatur. Hic hominem semel, iterumque, repellebat, quod non ita multo ante, ad meliora monita aures obruraverat. Tandem tamen admisit, & delictorum impertitus est venia. Neque ore tantum, sed & literis, opiniones suas retractavit. Cuius retractationis, & revocationis formula legitur ap. Christ. Gvil. a Vallo, sive Walpurgerum, in libro germanice edito, Hist. Consign. P. I. Sect. II. qui p. 21. sqq. colloqui huius historiam, uti ex monumentis, fide dignis, a Bugenhagio consignata est, enarravit.

**S. XXVIII.** *ADOLPHVS HELD*, Antistitem quondam egit, ad D. Nicolai, in urbe Stadensi, aedem. Suspectus iam erat de sententiis Reformatorum, quas in Catechismo, & sermonibus pro concione, semel, iterumque, incrustarat. Deiecit us eam ob causam ab officio, Chiliaстis adhaesit, & Eliam Praetorium, cuius A clo Ioc XLVI. Roterodami vindicias dedit, magni facere cepit. Chiliaстum vero ex dimensione templi, ab Ezechiele, & Ioanne, descripti, adstruere conatus est. Venit etiam aliquando Hamburgo Wittebergam, ibidemque cum B. D. Calovio, de Chiliaстmo suo contulit, persuasus, quod ipse fatebatur, se a nemine rectius de suis dogmatibus informari posse. In quo tamen Colloquio non Heroem, ut nomen ipsius sonat, sed levis potius armaturae militem, tese praestitit. Ita enim argumentis, e Scriptura petitis, se constrictum sentiebat, ut ad silentium redigeretur. Post hoc colloquium Altonaviae vixit, suosque errores agnovit, & revocavit, Calovium laudans, a quo rectiora se edoctum confessus est. Perscripsit haec ad Calovium Io. Mullerus, Antistes Hamburgensis, ex cuius literis com memorantur, in Bibl. Illustr. ad Apoc. XX. p. 1909. Arnoldus in H. E. & H. P. III. c. XIII. §. 8. p. 124. hanc Heldii retractationem, in dubium vocat, nixus cum primis silentio adversariorum, quos Heldius habuit. Sed sufficit nobis testimonium, paullo ante allatum, & profectio, melioris informationis causa, Wittebergam ad Calovium instituta. Arnoldus interim in hac historia non unum specimen edidit, sui, quo laborat, partium studii. Omittit namque